



Acta et res gestae D. Martini Lutheri in Comitijs Principu[m] Vuormacie, Anno M D XXI.


<https://hdl.handle.net/1874/431201>

ACTA ET RES GE STAE,

D. MARTINI LUTHERI,
in Comitjs Principū Vnor,
maciæ Anno

M D XXI.

cc
3



IN NOMINE IHE S V,

M. D. XXI.

A C T A , & res gestæ D. M A R T I N I

Lutheri, Augustiniani, in comitijs

Principum Vuormaciæ.

P O S T D O M I N I C A M , M I S E R I C O R -
dia domini, feria tertia, Doctor Martinus
L U T H E R V s , professione Augustinian. Vuor-
maciam inuectus est, Anno Dñi post millesimuni
Quingentesimū, uigesimoprimo : uocatus a C A
R O L O Imperatore, eius appellationis . v. Rege
Hispaniarum, Archiduce Austrię, &c. qui primo
Imperiū sui anno, prima Comitia in hac urbe Re-
gia celebrauit . Cum autē ante triennium, para-
doxa quedam disputanda proposuisset Vuitten-
bergae, urbe Saxonum, D. Martinus, aduersus ty-
rannidem Romani Episcopi : quæ lacerata sunt
interim, & exusta a multis, a nullo tamen aut scri-
pturis, aut rationibus conuicta : coepit res ad tu-
multū spectare, uulgo caussam Euangeliū aduer-
sus clericos tuiente . Et ob id bonum uidebatur
instigantibus Ro. Legatis, ut accerseretur setia-
li Cæsareo, & literis salui conductus in hoc a Cæ-
sare & Principib. datis. Accersitur. Venit: ac di-
uertit in curiam Rhodiensium, ubi hospitiō col-
lectus est, & a multis Comitibus, Baronib. Equi-
tibus auratis, Nobilib. sacrificis & prophanis, in

Carolus
quintus.

Causa
lutherana.

A C T A L V T E R A

unam usq; noctem salutatus ac requisitus.
Altero die post aduentum, feria quarta, uir nobilis, & Magister equitum Imperij genuinus, Ulrichus de Pappenhey, a Cesare missus, ante prâdi tempus uenit: indicans Doc. Martino, Caroli mandatū, ut hora pomeridiana quarta, apud Cesareā maiest. Principes Electores, Duces, & reliquos Imperij ordines cōstituatur, audituris ad quid uenerit. Quod D. Martinus, ut debuit, benignè accēpit.

C. Sturm, fœtialis.

Ac statim post horam quartā auditam eius diei uenit d. Ulrichus de Pappenhey, & Casparus Sturm fœtialis per Germanias Cæsareus, quo caudiceatore Vuittenberga fuit excitus, ac Vuormaciā usq; deductus D. Martinus. Inuitauerūt, ac comitabantur per hortum curiæ Rhodiensiū in diuersorium Palatini comitis hi duo. Et neqd à turba pateretur, que in iusto ad Cesaream dominum itinere magna fuit, p gradus quosdā, quasi furtim, in Auditorium deuenit. Non tamen latuit multos, qui ab ingressu uix ui prohibebātur. Pleriq; casulas conscenderunt, studio uisendi. Cum aut staret in prospectu Cæs. maiest. Principum Electorū, & Ducum, breuiter, omnī Imperij ordinum qui tum Cæsari adfuere, D. Martinus cōmonebae ab Ulricho de Pappenhey, ne quid loqueretur non quesitum. Ita tum Cæsa-

Ulrichus
de Pappene-
hey.

N A V V O R M .

reæ maiest.orator, Ioannes ab Eck, Officialis generalis episcopi Treueren. latine primū, deinde germanice, eandem sententiam in hunc protulit modum.

Io. ab Eck
orator
Cæsaris.

Cæs. maiest. huc te Martine Luthere acciuit, his duabus de cauffis. Principio, ut libros haec tenus tuo nomine vulgatos, agnoscas hic coram, si tui sint. Deinde, iam agnitos, an omnes pro tuis ha-
ceri, an quicquā ex eis reuocare uelis?

Cur acci-
tus.

Ad hęc D. Hieronymus Schurff, suicerus sancte Gallæ, qui a Martino stetit, exclamauit. Intitulen tur libri. Hic officialis Treueren, ex libris Doct. Martini eos qui Basileæ simul sunt excusi, nominatim recitauit. Inter quos etiā numerabantur Cōmentarij in Psalterium, libellus De bonis ope-
ribus, Cōmentarium in orationē Dominicā. Pre-
ter hos alij libelli christiani, non contentiosi.

D. Hiero.
Schurff.

Post hęc, & ad hęc D. Martinus ista reddidit ger-
manice, ac latine,

A Cæs. maiest. duo mihi proponuntur. Primū, an libros omnes mēū nomen habētes, pro meis habere uelim. Secundum, an stare, an uero quic-
quam reclamare, ex ijs que haec tenus euulgari in
animum induxerim.

Responsio
Lutheri.

Ad que respōdebo ut potero breuiter, & recte,
Primū, libros iam nominatos, non possum non
amplecti pro meis; & eorum quidē nihil unquā

A C T A L V T H E R A

diffitebor. Cæterum quod sequitur: ut uel assen
tirē pariter omnia , uel reuocem quod citra scri
pturæ testimonium dictum putatur. Quia de fi
de est questio, & animarum salute: & quia diui
num uerbum concernit, quo nihil maius est tam
in coelo quam in terra: quod nos merito reueres
ti conuenit omnes; temerariū ac iuxta pericūlo
sum fuerit, me quicquā incogitatū proferre . Cū
& minus q̄ pro re, & maius quā pro uero , non
premeditatus asserere possum. Quorū utruncq;
me in sententiā deducet quam Christus tulit, cū
ait. Qui me negauerit coram hominibus, nega
bo eum coram patre meo qui in coelis est. Peto
hac de causa, & quidem suppliciter a Cæs. mai.
nostra, spaciū deliberandi : ut citra diuini uer
bi iniuriam, & animę meā periculum, interroga
tioni satisfaciam.

Ex eo Principū cecepit deliberatio: quam ita red
dedit Officialis Treuereñ.

Orator
Cæsaris.

Et iam, si tu Martine, ex mandato Cæsareo satis in
telligere potueris, ad qd accersitus sis: ea de caus
sa iam indignus, cui longior cogitandī mora de
tur: tamen ex ingenita clementia, Cæs. mai. diem
unum indulget meditationi tuæ: ut cras ad horā
eandē coram cōpareas, ea conditione, ne scriptā
sententiā tuam proponas, sed uerbis exequaris.
Post hæc D. martinus per fetialem redditus est

Deliberā
di dies da
tur.

hospitio suo. In qua re non fuit pretereundum;
 quod inter eundum, ad audiendū Cæsaris manu
 datum, & cum iam esset in ipso Principū confes
 su, Lutherus ab alijs alia uoce cōmonebatur: ut
 esset fortī animo, ut uiriliter ageret: ne timeret
 eos qui corpus tantū possint occidere, animam
 non possent: sed potius reuereretur eū qui pos
 set & animā & corpus in gehennam detrudere.
 Item. Cum steteritis ante Reges, nolite cogitare
 quid loquamini. dabitur em̄ uobis in illa hora,
 Quidam ex circūstantib⁹ clamauit, Beatus uē
 ter qui te portauit. Sic iste consumptus est dies.
 Sequenti feria quinta, post quartam pomeridia
 nam, uenit fœtialis: & assumptum D. Martinū in
 curiam Cæsaris perduxit: ubi propter Principū
 occupationes ad sextam usq; mansit, expectans
 in magna hominū frequentia, seipsum conteren
 te præ turba.

Cūq; confessus factus esset, & Martinus astartet,
 prorupit officialis in hæc uerba.

Cæs. maiest. hanc horam tibi dixit, Martine Lu
 there. Quandoquidē libros quos heri recensui
 mis, tuos esse palam recepisti. Ceterum ad quæ
 stionem, an quicquā eorum irritum haberi uel
 les, an omnia probares quæ prosleris. delibera
 tionem petisti: quæ nunc finem habet. Etiāsi iu
 re impetrare nō debueras, longius cogitādi spa-

Conforta
tur ab ani
cis.

Fœtialis
Lutherū
vocat.

Ordror
Cæsaris.

A C T A L V T H E R A

cium: qui tanto tempore sciusti, ad quid uocare
ris. Et fidei negotium, tam certum omnibus esse
cōueniebat: ut quisq; quoq; tempore postu
latus, rationem eius certam & constantem redi
dere possit: nedum tu tantus, & tam exercitatus
Theologiæ professor. Age, tandem responde Ces
fareæ postulationi, cuius benignitatem in impe
trando cogitādi spacio sensisti. Vis ne libros tu
os agnitos, omnes tueris? An uero quicquam re
tractare? Hæc latine, & germanice dixit officia
lis, latine tamen uirulentius qnā germanice.
Respondit D. Martinus & ipse latine, & germa
nice: quanquā suppliciter, tacite, ac modeste, nō
tamē sine Christiana animositate, & constantia,
& ita, quod cupierūt aduersarij, orationē & ani
mum abiectiorem. Sed multo cupidissime expe
ctarunt reuocationem: cuius spem, expetito de
liberandi spacio, nonnullam conceperunt.

D I C T I O D. M A R T I N I L V T H .

coram Cesare Carolo, & Principibus,

Vuormaciæ, feria quinta post, Misericordiæ

cordia Domini.

SERENISSIME P. Imperator, illustrissimi
Principes, clementissimi domini, ad præfici
xum mihi hesterno uesperi terminum obediens
compareo: per misericordiæ dei obsecrans, sere
niss. Maiest. uestra, dominationesq; uestræ illus

Oratio
Lutheri.

M.LW/
therus.

N A T V V O R M .

Strissime dignetur causam hanc(ut spero) iustitiae & ueritatis clementer audire. Atque si per imperitiā meam, uel dignos titulos cuiquā non dedero, uel quocunq; modo in mores, gestusq; auxilios peccauerero, benigniter ignoscere: ut homini non in aulis, sed in angulis monachorū uersato: qui nihil aliud de me testari possum, q; ea similitate animi hactenus me docuisse, & scripsisse, ut tantū gloriam Dei, & sinceram fideliū Christi institutionem spectarem.

Sereniss. Imperator, illustriss. & Principes, ad duos illos articulos, heri per S. maies, uestrā mihi propositos, scilicet, an libellos recensitos, & nomine meo euulgatos, agnoscam meos: & in his defendēdis perseverate, aut reuocare uelim: dei paratum & planū meum responsum super articulo priore, in quo adhuc persisto: persistamq; in æternum. Esse uidelicet eos libros meos, meo nomine, a me euulgatos, Nisi forte interim acciderit, ut æmilorum uel astutia, uel sapiētia importuna, quicquā in illis mutatum, aut depravata excerptum sit. Nam aliud plane non agnosco nisi quod mei solius est, & a me solo scriptum, circa omnīs cuiusuis industriæ interpretationem. Ad alterum uero responsurus, rogo S. maies, uestra, & D. uestre dignentur animū aduertere. Libros meos non esse omnes eiusdē generis. Sunt

Protestatio
tio Lutheri
ri.

Ad primū
articulum

Ad secundū
articulum

A C T A L V T H E R A

Fidei ne/
gotium.

Bulla Le/
onis.

Papistarū
negotium.

enim aliqui, in quibus pietatem fidei & morum,
adeo simplicit̄ & Euangelice tractauit, ut ipsimet
aduersarij cogantur eos confiteri, utiles, innoxios,
& plane dignos lectione Christiana. Sed &
Bulla, quanquā sœua & crudelis, aliquot meos li-
bros innoxios facit: licet & hos damnet, iudicio
prorsus monstrifico. Si itaq; hos reuocare inci-
perem: obsecro quid facerem, nisi quod unus ex
omnibus mortalibus, eam ueritatē damnarem,
quam amici & inimici pariter confitentur, solus
omnium confessioni concordi reluctatus.

Alterum genus est, quod in Papatum, resq; Pa-
pistarum inuehitur: tanquā in eos qui suis & do-
ctrinis & exemplis pessimis, orbem Christianū,
utroq; malo & spiritus & corporis uaſtauerit.
Nam id necq; negare, necq; dissimulare quisquā
potest, cum experientia omnium, & uniuersorū
querimonia, testes sint: per leges papę, & doctri-
nas hominum, conscientias fidelium miserrime
esse illaqueatas, uexatas, & excarnificatas: tum
res & substantias, pr̄sertim in hac inclita Ger-
maniæ natione, incredibili tyrānide deuoratas,
deuorariq; adhuc sine fine, indignisq; modis. Et
suis met ipse cantat (ut dist. ix. &. xxv. q. i. &. ii.)
ut Papae leges & doctrinas, Euangeliō, aut patrū
sententijs cōtrarias, pro erroneis & reprobis ha-
beantur. Si igitur & hos reuocauerō: nihil aliud

N A V V O R M.

prestitero, quam ut tyrannidi robur adiecero: et
tantæ impietati iam non fenestras, sed ualvas a/
peruero, grassaturæ latius & liberius quam ha/
ctenus unquam ausa fuerit: & fiet in re huius re/
uocationis, testimonio licentiosissime, impunis/
simæq; nequitia, illorum regnum misero uulgo
longe intolerabilissimum, & tamen roboratum
& stabilitum: præsertim si iactatum fuerit, id a/
me factum autoritate serenissimæ Maiesta/
tis uestre, serenissimi totiusq; Ro/
mani Imperij. Quantum
ego, D E V S bone,
rum fuero

operculum nequitia & iniquitatis.

Tertium genus eorum est quos in aliquot pri/
natos, & singulares (ut uocant) personas scripsi:
eos scilicet, qui & tyrannidem Romanam tueri,
& pietatē a me doctam labefactare moliti sunt.
In hos confiteor me fuisse acerbiorē quā pro re/
ligione aut professione deceat. Necq; em me fa/
ctum aliquem facio: necq; de uita mea, sed de do/
ctrina Christi dispuco. Nec hos reuocare integrū
est mihi. q; ea reuocatiōe iterū futurū sit, ut tyra/
nis & impietas meo patrocinio regnēt & sequiāt
in populum dei, uiolētius q; unq; regnauerint.
Tamen quia homo sum, & non deus, alio patro/
cinio meis libellis adesse nō possum, quā ipse do

Principiorū
negotiorū.

A C T A L V T H E R A

minus meus IHESVS Christus affuit sue doctrinæ. Qui cū coram Anna de sua doctrina fuisset interrogatus, & alapam a ministro aceperisset, dixit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si Dñs ipse, qui sciebat se esse errare non posse, non tamē detrectauit testimonium aduersus suam doctrinam audire, etiam a utilissimo seruo, quanto magis ego fex, nō nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si quis testimonium reddere uelit aduersus meā doctrinam. Itaqꝫ rogo per misericordiam Dei, S. maiest. uestra, illustriss. dominationes, aut quicūqꝫ tandem uel sumimus, uel infimus possit, reddat testimonium, conuincat errores, super eret scripturis Propheticis & Euangelicis. paratissimus em ero, si edocitus fuerio, quenquam errorem reuocare: eroqꝫ primus qui libellos meos in ignem proijcam.

Ratio.
Ex ijs arbitror liquidum fieri, me satis curasse & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meæ doctrinæ occasione, in orbe excitata, de quibus heri grauiter & fortiter admonitus fui. Mihi plane omnium iucundissima facies ista in rebus est, uidere ob uerbum Dei, studia et dissensiones fieri. Is enim est uerbi Dei cursus, causus, & euentus. Nā dicit: Nō ueni pacem mittere, sed gladiū. ueni, n. separare hoīez aduersus patrē, filium, &c. Proinde cogitandum nobis est: quā de-
Testimonia scriptura aduersus se petit.

*Verbi dei
cursus, ca-
sus, & eue-
ntus.*

N A V V O R M.

us noster sit mirabilis & terribilis in consilijs suis
is . ne forte id quod post tantis studijs tentatur,
si a damnato uerbo Dei exordiamur , uergat po-
tius in intolerabile malorum diluuium: & curan-
dum sit , ne adolescentis huius optimi Principis
Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix,
inauspiciatu fiat Imperium . Possem locupletius
exemplis scripturæ de Pharaone Rege Babylo-
nis , & Regibus Israel rem declarare: qui tum sese
maxime perdiderunt, cum sapientissimis consi-
lijs sua regna pacificare & stabilire studuerunt .
Ipse est enim qui comprehendit astutos in astu-
tia sua , & subuertit montes antequā cognoscāt .
Itaq; timere Dei opus est . Non hæc dico, quod
opus sit mea uel doctrina , uel monitione, tantis
uerticibus, sed quod obsequiu meæ Germaniæ
debitum subtrahere non debuerim .

Et his me S. Maiest. uestrę dñationib. q; uestris
cōmendo: humiliter rogans , ne patiatur studijs
aduersariorū, me sine causa sibi reddi inuisum.

D I X I.

His dictis, orator Imperij increpabundo similis,
dixit me non ad rem respondisse : nec debere in
dubiū uocari que olim in Concilijs essent dāna-
ta & definita: ideo a me peti simplex, non cornu-
tum responsum, an uelim reuocare, uel non:
HIC EGO: Quando ergo S. Maiest. uestra, do-

Ab exem-
plio .

Orator
Cæsaris :

M. Lutbe-
rns,

b iij

A C T A L V T H E R A

minationesq; uestre, simplex respōsum petunt:
dabo illud, neq; cornutū, neq; dentatum, in hūc
modum. Nisi conuictus suero testimonij scri-
pturārum, aut ratione evidente (nā necq; Papæ,
neq; Concilijs solis credo. cum constet eos errat
se s̄aepius, & sibijs contradictionēs) uictus sum,
scripturis a me adductis, & capta conscienc-
tia in uerbis Dei, reuocare neq; possū,
neq; uolo quicquam. cum contra
conscientias agere neq; tutū,
neq; integrum.

G O T T

H E L F M I R A R M E N.

Amen.

O R A T I O N E M hanc a Doct. Martino habitam,
in consultationem deduxere Principes. Exam-
natam conuellere cœpit Officialis Teruerensis,
hoc pacto.

Orator
Cœsar. Inmodestius tu Martine respondisti, quam tuam
personam deceat, & adeo non ad propositū. Li-
bros uarie partiris: uerum ita, ut ad interrogatio-
nem nihil faciat omnia. Quod si eos recantasses
in quibus errorum tuorū magna pars est, haud
dubie, Cœsarea Maiestas, ex ingenita clementia,
reliquorum qui boni sunt, persecutionem nō to-
leraret. Atqui tu quæ uniuersale Constantiense
concilium damnauit, ex uniuersa Germanica na-

Non ergo
omnes dā-
nandi.

N A V V O R M.

tione cōgregatum, resuscitas : & per scripturam
uinci uis. In quo uehementer delyras. Quid em̄
attinet, nouam disputationem celebrare de re
bus per tot sēculā, ab Ecclesia & Concilio con
demnatis ? Nisi forte cuiuis, de quocunque red
dendā ratio est. Quod si semel peruerterit: ut scri
pturis conuincendus sit quicunque Concilijs &
Ecclesiæ sensis contradicit : nihil habebimus in
Christianitate certum uel determinatum. Et hec
causa est, ob quam Cæsarea Maiestas,
a te petit respōsum simplex ac pla
num, aut negatiuum, aut affir
matiuum.

Num uis omnia tua pro catholicis tueri ?

An uero quicquam ex eis reuocare ?

SED & nihilo seeius rogauit Doctor Martinus, M. Luthe
ne se contra conscientiam a sanctis scripturis ca
ptam, & impeditam, sine contradicentium mani
festarijs argumentis, ad reuocandum cogipate
retur Cæsarea Maiestas. Responsum quod peti
tur non cornutum, simplex, ac rectum, non aliud
habere, quam quod iam, ante quoque dedisset:
nisi sufficientibus argumentis, conscientiam ab
illis, quos ipsi uocant, erroribus, captam explicat
rent aduersarij, nec se posse ex retibus abire qui
bus esset inuolutus. Nō protinus uera esse quæ
cunctæ Concilia statuerunt: imo errauerunt Con
Concilia
ersa se.

A C T A L V T H E R A

cilia, & sibi ipsis saepe contraria definierunt. Propter ea non ualere contradicentium argumentum, Se posse ostendere, quod Concilia errauerunt: reuocare no[n] posse quod sedulo proclamaret scriptura. Cui epiphonematis loco adiecit,

DEVS ADIVVET ME.

Exclama-
tio.

Ad que nihil est responsum ab officiali, nisi paucissimis: quod ostendi non possit, Concilium errasse. Martinus uero, se posse, ac uelle promisit. Cum iam autem tenebræ totum Auditorium habebant, propterea suam quisque domum abiudere. Descendentem a Cæs. mai. & tribunali, Hispanorum bona pars, ronchis & plena subsannatione, hominem dei Lutherum, longo rugitu psequuti sunt. Feria sexta post, Misericordia dñi, cum conuenissent Principes Electores, Duces, cuiuscunq[ue] status ordines, qui consultationibus adesse solent, scriptum autographum habentem, in Senatum misit C A E S A R.

Irridetur
vir Dei.

Carolise/
tentia scri-
pta ad
Principes

Maiores nostri, & ipsi christiani Principes, fuerunt nihilominus ecclesiæ Romanæ audientes. Quam nunc Doctor Martinus impugnat. Et quatenus latum quidem unguem ab erroribus discedere in animum sumpsit, non possumus nos cum decole, a maiorum exemplo desciscere, in antiqua fide tuenda, & Romanæ sedi auxilium ferendo. Ipsum autem Martinum, & adherentes, excomuni

N A T V V O R M .

catione prosequemur. Et si quę alie patent ad ex
tinguendum uiæ. Datum tamen & adscriptum
fœdus uiolare nollet; imo daturū operam, ut sal-
tuus eo redeat unde esset accitus.

H A N C Caroli sententiā uersauerunt Principes
Electores, Duces, Imperij status, feria sexta p to-
tum tempus pomeridianum, etiā Sabbatum in-
tegrum quod sequebatur: ita q D. Martinus ad
huc responsum a Cæs. maiest. nullū receperit.

I N T E R E A temporis uisus est, & uisitatus a multis
Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus,
Nobilibus, sacrificis, religiosis, ac prophanis: ne
quid dicam de uulgi numero. Hi curiam nunq;
non obsederunt: nec uidendo satiari potuerunt.
Etiam schedulæ binę sunt affixæ: una contra DO-
ctorem, altera (sicut uidebatur) pro Doctore. Tā
& si a multis, adeoq; intelligētibus, dolose ab ini-
micis factū putatur id ipsum: ut occasio esset frā-
gendi conductus, quam non impigre quærunt
Romani Legati.

F E R I A secunda post, Jubilate, ante coenam, Ar-
chiepiscopus Treuereñ renunciauit D. Martino,
ut feria quarta sequenti, corā ipso hora sexta an-
te prandiu compareret loco iter designando.

D I E sancti Georgij, sub coena, redijt a sacris Ar-
chiepiscopus Treuereñ. iussu Principis sui, pe-
tens, ut postridie hora nuper designata, in diuer-

Versatur
sententia
Caroli ad
biduum.

Celebris
tas Luthe-
ri.

In fidiosa
schedula/
rum affi-
xio.

Vocatur
denso.

A G T A O L V T H E R A

sorio domini sui adess et.

Martinus
coram Princ
cipibus

FERIA quarta post Georgij natalem, dicto patens D. Martinus, diuersoriū Archiepiscopi Treuereñ. ingreditur, adductus per sacerdotē eius, & caduceatorē Cesarium: prosequentibus eum qui huc ueniētem e Saxonibus & Thuringis comitati sunt, & aliquot alijs prēterea amicissimis. Vbi coram Archiep. Treuereñ. Marchione Iohachim Brandenburgio, Duce Georgio Saxon. Augusteñ. & Brandenburgeñ. Episcopis, Magistro Teutonicorū Comite Georgio, Io. Bock Argentino, Vuerdheymero, & Peutingerio doctōribus, Doctor Veus a secretis Marchionis Badēsis, dicere cœpit, & protestatus est: nō in hoc uocatum, ut in cōtrouersia uel disputatione conferret, sed solū ex christiana charitate, & clementia quadā, Prīncipes hoc a Cęs. ma. impetrasse, ut liceret eis clementē & fraterne exhortari eū. Deinde, Consilia tametsi diuersa statuerint, nō tñ statuisse contraria. q̄ si uel maxime errassent, ob id tñ non corruere eorū autoritatē: saltē adeo, ut q̄ libet suo sensu contra ea niti uellet. Inserēs de Cęturiōne & Zacheo multa, etiā de cōstitutionib. humanis, cérimonijis, statutis: ea omnia affirmās fācītū, ad reprimenda vītia pro qualitate & uicissitudine temporū: nec posse carere constitutiōnib. humanis. Ex fructib. cognoscī arborē. Di-

Dōctoris
Vei admō
nitio.

Consilia

etiam tamen ex legibus multa bona nata. Quod in
 Concilij sanctus Martinus, sanctus Nicolaus, &
 multi alij sancti interfuerint. Quod ingentes mo-
 tus, & tumultus incredibiles, excitaturi sint libri
 eius. Quod libello, de libertate Christiana, uul-
 gus abutatur, ad exuendum iugum, ad stabilien-
 dam inobedientiam. Longe nunc secus habere,
 quam cum credentium cor unum, & anima esset
 una. Legibus ergo opus esse. Præterea exponē-
 dum: quod cum multa bona scripsisset, et procul
 dubio bono spiritu: ut de triplici iustitia, & alia:
 diabolum hoc iam per insidias occultas agere, ut
 omnia eius opera in perpetuum damnētur. Nā
 ex his quæ ultimo scripsiterit uere, & iudicatur.
 Quemadmodum arbor non ex flore, sed ex fru-
 etu cognoscatur. Ibi addidit de dæmonio meri-
 diano, & negotio perambulante in tenebris, &
 sagitta uolante. Tota oratio fuit exhortatoria, lo-
 cis rhetorica, utilitatis, salubritatis legum, & ui-
 ciissim periculorum & conscientie, & salutis pu-
 blicæ & priuatæ plena. Tum in principio, tum me-
 dio, tum calce identidem iuculcans, hanc admo-
 nitionem, propensiſſima uoluntate, &
 clementia quadā singulari a Princ-
 cipib. fieri. Claudens in epi-
 logo, mihas addidit: di-
 cens futurum,

Opus dia-
boli

A C T A L V T H E R A

ut si in proposito perseueraret, Cæsar procedat, eum Imperio electurus: cōmoniesaciens, ut hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

M. Luthe
rus,

Error con
cilij Con
stantieis.

Scandalū
charitatis
& fidei.

Respondit D. Martinus. Clemētissimi & illustris simi Principes & domini, de uolūtate ista clemētissima & benigniss. ex qua hæc admonitio proficitur, ago gratias q̄ possum humillime. Agnoscō em̄ me homuncionem longe uiliorē esse, q̄ ut a tantis Principib. sim cōmonendus. Nec oīa consilia me reprehendisse, sed tantū Constantiense, ob hoc potissimū, quod uerbum dei dānauit. quod pateat in articulo hoc Ioannis H V S S, ibi damnato. Ecclesia C H R I S T I, est uniuersitas prædestinatorum. Hoc damnassē conciliū Constantiense: & sic hunc articulum fidei, Credo Ecclesiam sanctam catholicā, nō recusare, & uitam & sanguinem impendere: modo eo non detruditur, ut cogatur apertum D E I uerbum reuocare. Nam in hoc defendēdo, oportere magis deo quā hominibus obedire. Scandalū autē duplex, charitatis, & fidei. Charitatis, quod in moribus & uita consistit. Fidei uero seu doctrinę, quod in uerbo dei uitari non possit. Per ipsum enim prestari nō posset, ut Christus non sit petra scandali. Si fides uere prædicaretur, & essent boni magistratus, legem Euangelicā unam satis esse futuram, & leges humanas esse inutiles. Scire, obedi-

endum esse magistratibus & potestatibus. etiam male & inique uiuentibus. Scire, cedendū proprio sensui: id quod etiam in suis scriptis docuerit. Tantū, ne adigatur uerbum Dei negare: cætra enim omnia obedientissime se præstaturū.

SE C E D E N T E D. Martino, Principes colloquuntur, quid ingerēdum mandarent hominī. Reuocatum igitur in triclinium, Doctor Badeñ. repetit priora: commonefaciens, ut sua scripta iudicio Cæsarīs & Imp. subiijceret.

Suscepit D. Martinus suppliciter & modeste, ne Lutherus. pati, neq; passurum ut diceretur. ueritus iudicium Cæsarīs, Procerum, & Ordinum Imperij. Tantū enim abesse, ut eorum examen reformi det, ut uel a minimis quoq; atrocissime sua expedi promitteret: modo id scripturæ sacræ, & uerbi diuini autoritate fieret. Verbum aut̄ Dei tam apertum sibi esse, ut cedere nequeat: nisi uerbo Dei meliora edoctus. Scribere enim sanctū Augustini, Didicisse hunc honorem solis illis librīs habere, qui Canones uocantur, ut ueros credat: cæteris uero Doctorib. quantalibet uel sanctitate uel doctrina, ita demū credere, si uera seribāt. Ad hæc s. Paulum ad Thessaloniceñ. scripsisse, Paulus Omnia probate, quod bonum est tenete. Et ad Galatas, Etiam si angelus ex celo ueniat, & aliud prædicet, anathema sit, eiq; non credendū. Quo-

A C T A L V T H E R A

magis obsecrare me conscientiam ipsius, scripturæ & uerbi diuini uinculis ligatam, detrudat ad negandū tam clarum Dei uerbum. Et ut cōmendatum haberent ipsum, & priuatim apud Cæs. maiest. alioquin enim, nihil non uel obsequentis si me facturum. HAE C locutū, interrogauit Mar chio Brandenburgen, Elector, Num dixisset, se non cessurū, nisi conuictum sacra scripturae Res pondit D. Martinus. Etiā dñe clementiss. uel rationibus clarissimis & euidentibus.

Marchio
Brandeb.

In triclini um Treu ri vocatur

O sophi/ stam mi/ serem.

Io. Coele

ITA soluto hoc conueetu, Principib. reliquis in curiam proficiscientibus, Treuir D. Martinū accedit in suū tricliniū, adhibito suo officiali, Io. Eckio, & Coeleo. Cum Martino Hieron. schurff, & Amsdorfius. Cœpit Officialis argumentari, quā p̄ causidicus, Ex literis sacris fere semper natas hereses. ut Arrianā ex hoc Euangelij, Ioseph non cognouit coniugē suā, donec pareret primogenitū suū. Deinde eo progressus, ut niteretur cōuellere hanc positionē: ecclesiā catholicā esse universitatē sanctor̄. Ausus etiā, ex Iolio facere triticum, & ex corporū excremētis membra. Quæ et talia ineptientem, perstrinxerūt dictis D. Martinus, & D. Hieron. Subsecuturi, interstrepuit Io annes Coeleus, tantū conatus cōmonefacere, ut ei proposito desisteret, non etiam docere. Tandem digressi sunt. Placuisset Treuiror̄ Archiep-

N A V V O R M .

Piscopo, ut a prandio redirent. Sed nō adeo pro
bauerunt Officialis & Coeleus.

Post prandiū Coeleus D. Martinū in diuersorio
eius argutj̄s odiosiss. adortus (in quib. modeste
per Hieron. Ionam, & Thiloniū repressus) nō
declinauit postulare: ut renūciata fide publica, se
cum disputaret: exhortatus, ut reuocaret. D. ues-
tro Martinus, pro incredibili humanitate & pbi-
tate sua, hoīem benigniē habuit: & abiturū com-
monuit, ne nimū affectibus tribueret: & contra
ipsum scripturus, autoritate scripture diuinę ad-
ferret, nam alioqui nihil effecturum.

Hieron.
Ionas.
Thiloni.
nus.
Lutherus.

S V B uesperā Treuir nunciauit D. Martino, int̄
prete Amsdorſio, fidē publicā a Cesarē in biduū
ptractā: ut interim cum eo agere posset. In hoc
igitur postridie Doctorē Peutingerū, & D. Ba-
den. ad eū uenturos, imo & ipsum cū eo acturū.
Feria. v. ipsa Marci, aī meridiē, Peutingerus, &
Badeñ. conati s̄e psuadere D. Martino, ut simplici-
ter & absolute, Cesari & Imp. permitteret iudi-
cū scriptor̄. R̄ndit, se oīa & facturū & passurū,
si mō scripture sancte niterent̄ autoritate. alioq
ēm nihil minus cōmissurū. Nā deū per Prophē-
tā dixisse, primo. Nolite confidere in Principib.
in filijs hoīm, in quib. nō est salus. Dein, Maledi-
ctus q̄ cōfidit iu hoīe. Vehemētius urgentib, Re-
spōdit, Nihil minus permittēdū hoīm iudicio, Q̄

Inducie
fidei pub.

O constā
tiam Lu /
theranum -

A C T A L V T H E R A

uerbū Dei, Ita abierunt: rogantes ut deliberaret,
meliora responsurus: a prandio seredituros.

Concilii
futurum

O iniquā
delationē.

Treuirī.
archiepis.

Fidem illi
tentaram.

P O S T prandium reuersi, idem quod ante meri
diem frustra conati sunt. Orauerunt, ut saltē Cō
ciliij futuri iudicio sua submitteret. Et hoc permi
sit: sed ita, ut decerpitos ex libris suis articulos, ipsi
exhiberent Concilio subiectiendos: sed ita, ut sen
tentiam de illis ferrent scripturæ & uerbi diuini
testimonio. At illi a D. Martino digressi, Archiepi
scopo Treuirorū dixerint, pollicitum, se sua p
missurum Concilio in articulis nōnullis, interim
q̄ taciturū de ihsdē. Quod D. Martinus ne cogita
rat qdē: ut qui semp̄ eatenus negarat, qppiā uel
negare uel differre qd ad uerbum Dei attineret.
Euenit ergo Dei munere, ut Treuir D. Martinū
euocaret, & eum coram auditurus. Vbi ergo di
uersum intellexisset quā Doctores dixissent: af
firmauit, non magno redempturum, nisi audiuis
se & eum. Nam alioquin statim Cæsarem audi
turum, dicturumq̄ que renarrasset Doctores.
EGI T Triumuir clementissime cum D. Marti
no: primo remotis omnibus arbitris, tum de Cæ
sare & Imp. tū de Conciliij iudicio. In quo collo
quio D. Martinus nihil celavit Treuirū: probās
parū tuto tantā rem illis permissurū, q̄ sub fide
publica euocatū, nouis mandatis aggressi dam
nassent, sententiā & bullam Papæ approbantes.

Deinde admisso etiā amico, petiuit Treuir a D^r. Martino remedia, quib. huic causę occurri pos-
sit. Respondit Lutherus, meliora non esse quam
de quibus Gamaliel A^ctū quinto dixisset, teste
sancto Luca. Si ex hominibus consilium est, hoc
opus dissoluetur: si uero ex Deo est, dissoluere
non poteritis. Hoc potuisse C^aesarem, & Imperij
Ordines, scribere Pontifici Romano. Nam scire,
si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra tri-
ennium, imo biennium sponte sua periturum.

Dicentī Treuiro, Quid esset facturus, si decerp-
rētur articuli Concilio submittendi? Respondit
Lutherus: modo non sint hi quos conciliū Cons-
tantie se damnauerit. Ait Treuir. Se uero time-
re, eosipsoſſos futuros. At qui inq^t Luther. de eius
modi tacere neq^z possum, neq^z uolo: ut certus,
ijs decretis damnatum Dei uerbum: & uitam &
caput potius amissurus, quam tam clarum uer-
bum domini deserturus.

Treuir uidens Doctorē Martinum, Dei uerbum
iudicio hominum nequaquā submissurum, des-
menter dīmisit. Rogantib^z, ut curaret sibi cōmes-
atum clementem a C^aesarea Maiestate, Respon-
dit, ſe rem probe curaturum, & renunciaturum.
NEQ^E ita multo post, Officialis Treuerensis,
præſente Cancellario Austriae, & Maximiliano
a secretis C^aesaris, Doctori Martino in diuersorio

Consilii
Lutheri.Treuir cū
Lutherio.

A C T A L V T H E R A

Orator
Cæsaris

Remittit
tur ad sua.



M. Luthe
russ.

O christi
enam con
stantiam.

elus, mandato Cæsaris dixit, Quia tam multipli
citer frustra a Cæsare, Electoribus, Principibus,
& Ordinibus commonefactus, ad cor & unitatē
noluerit redire reliquum, ut Cæsar, ut Aduoca-
tus fidei catholicae, procedat. Ergo mandatū Cæ-
saris esse, ut intra triginta unum dies, hinc ad se
curitatem suam redeat, sub conductu publico &
libere ipsi seruādo: neq; uel prædicando, uel scri-
bendo in itinere populum commoneat.

P A T E R clementissimus, modestissime respon-
dens, sic coepit. Sicut Domino placuit, ita factum
est. Sit nomen Domini benedictum. Primo oīm
serenissimæ Cæs. maiestati, Principibus, & reli-
quis Imperij Ordinibus gratias ago humillimus,
pro tam benigna & clementi audiētia: proq; cō-
ductu libero & seruato, & seruando. Neq; enim
quicquam desyderavi in eis, nisi reformationem
per scripturam sanctam a me tantopere flagita-
tam. Alioqui pro Cæs. Maiestate, & Imperio pa-
furis omnia, uitam & mortē, famam & infamiam:
uihilq; mihi prorsus reseruaturus, nisi unicū uer-
bum Domini liberum, ad confitendum & testifi-
candum illud: Cæs. maiestati, & toti Imperio me-
humillime tum cōmendans, tum subiiciens.

P O S T R I D I E igitur, hoc est, seria sexta post, lu-
bilate, die Aprilis. xxvi. salutatis patronis & ami-
cis, qui eum frequentissimi conuenerūt, sumpto-

N A V V O R M.

ientaculo, hinc abiit ad horam ante meridiē des
cimam, comitatus & ab ijs qui huc uenientē pro
secuti sunt, & a Doctore Hieronymo Schurff iu,
risconsulto Vuittenbergeñ. Nam Caspar sturm
us caduceator, post aliquot horas secutus egred
sum, Oppenheimij inuenit, prosecuturus uoca
li mandato Cæfaris Caroli.

D E V S igitur hominem pientissimum tuendo,
& docendo E V A N G E L I O natum,
diutissime seruet Ecclesiæ sue,
una cum suo uerbo.

AMEN.

ЛЮВЯДИ